

Agli alunni e alle alunne delle classi 1<sup>a</sup> C e 1<sup>a</sup>H

### compiti di latino per l'estate 2013

I brani qui sotto sono da tradurre e salvare su file .doc e stampare su carta

- a. Chi è stato promosso con piena sufficienza in latino tradurrà i brani 7, 8, 9, 10 e li porterà stampati o su chiavetta USB nei primi giorni di scuola;
- b. Chi ha avuto un aiuto (sufficienza non piena) in latino tradurrà i brani 3, 5, 7, 8, 9, 10 e li porterà stampati o su chiavetta USB nei primi giorni di scuola;
- c. Chi ha avuto un debito formativo in latino tradurrà tutti i brani, da 1 a 10, li porterà stampati il giorno della prova orale per il recupero del debito (fine di agosto-primi di settembre) e li consegnerà all'insegnante.

N.b. per gli alunni e le alunne dei gruppi a e b: NON È VIETATO tradurre più brani di quelli assegnati.

Gli insegnanti

Giovanna Baioni

Narno Pinotti

Brano n.° 1

#### *Vestimenta et arma* (cap. XI-XV; 1 ora)

Māne Mārcus vestīmenta sua ā servō poscit: “Dāve, dā mihi tunicam et togam meam! Vestī mē!” Dāvus Mārcum vestīre nōn vult, sed Mārcō iubentī vestīmenta dat. Necesse est Mārcum ipsum vestīmenta sua induere.

Dum puer tunicam et togam induit, Dāvum interrogat: “Cūr tū togam nōn geris? Cūr tibi est tantum tunica?”

“Servīs nōn licet togam gerere, neque Graecīs et barbarīs licet. Dominī Rōmānī tantum et filiī eōrum togam gerunt” respondet servus.

“Barbarī nec togam nec tunicam gerunt: māgnam corporis partem nūdā habent. Mihi togātō tantum brachium dextrum nūdum est. Togātus neque currere neque pilā lūdere neque pugnāre possum.”

Dāvus: “Est ut dīcis: nēmō togātus pugnāre potest. Mīles, quī manū dextrā gladium gerit et manū sinistrā scūtum, togam gerere nōn potest. Sed tū nōn es mīles, neque tibi licet pugnāre.”

Mārcus: “Quid? Nōnne mihi licet mē dēfendere ab aliīs puerīs quī mē pulsant et mēcum pugnāre volunt?”

Brano n.° 2

***Puer aeger et medicus*** (cap. XI-XV; 2 ore)

Hodiē Mārcus dīcit ‘sē ē lectō surgere nōn posse nec lūdum petere.’

“Cūr surgere nōn potes?” interrogat Dāvus.

“Surgere nōn possum” respondet Mārcus, “quia aegrōtō. Caput mihi dolet.” Hoc dīcēns puer oculōs claudit et tergum ad Dāvum vertit.

Dāvus Iūlium, patrem Mārcī, vocat: “Venī, domine, et vidē tuum Mārcum fīlium, quī dīcit ‘sē aegrōtāre!’”

Iūlius intrat et spectat fīlium in lectō iacentem. Mārcus sē vertit et faciem dolentem ostendit; manum ad frontem appōnit et “Aegrōtō, pater” inquit, “Ei, ei, quam dolet caput! Surgere nōn possum.”

“Sī aegrōtās” inquit Iūlius, “necesse est medicum vocāre.”

Iūlius servum suum statim Tūsculum īre iubet atque medicum arcessere. Post hōram servus cum medicō ad vīllam Iūliī revenit.

Medicus Mārcum linguam ostendere iubet, et linguam eius rubram esse videt. Tum oculōs et aurēs eius spectat et frontem eius tangit: nec nimis calida nec nimis frīgida est frōns. Deinde medicus manum super pectus puerī impōnit et eum bene spīrāre atque cor eius bene palpitāre sentit; puer pulmōnēs bonōs et cor bonum habet.

“Quid tibi dolet?” interrogat medicus.

“Caput et venter dolent” respondet Mārcus.

“Ergō nimis multum sanguinis habēs in corpore. Necesse est vēnam aperīre” inquit medicus, “Ubi est culter meus?”

Sed antequam medicus cultrum sūmit, Mārcus “Iam nōn tam male mē habeō” inquit. “Satis bene mē valēre sentiō. Caput iam nōn dolet neque mē ventrem malum habēre putō.”

Rīdet medicus. At pater īrātus iubet fīlium suum statim ē lectō surgere atque lūdum petere.

Brano n.° 3

***Miles in Germāniā*** (cap. XI-XV; 2 ore)

Aemilius, Mārcī et Quīntī avunculus, quī in Germāniā mīlitat, hodiē est in vīllā prope Tūsculum, ubi puerī cum parentibus suīs habitant. Aemilia, māter Mārcī et Quīntī, frā-trem suum adesse gaudet. Puerī Aemilium interrogant: “Avuncule, cūr tū in Germāniā habitās?”

“Māgnus est exercitus Rōmānus in Germāniā” inquit Aemilius, “quī contrā hostēs pugnat; in eō exercitū sum mīles.”

Mārcus: “Quō in oppidō habitās, cum in Germāniā mīlitās?”

Rīdēns respondet Aemilius: “Nōn in oppidō, sed in castrīs habitō. Castra sunt oppi-dum mīlitum. Habitō in māgnīs castrīs mille passūs ā fīnibus imperīi.”

Quīntus: “Quot mīlitēs illīc habitātis?”

Aemilius: “In illīs castrīs sex mīlia peditum equitumque habitāmus.”

Mārcus: “Num fēminae et puerī cum mīlitibus habitant?”

Aemilius: “Nūllae fēminae aut puerī in castrīs habitant cum mīlitibus, quia nec fē-minae nec puerī mīlitāre possunt. Neque iīs licet castra intrāre. Circum castra fossa lāta est et vāllum duo mīlia passuum longum et prope decem pedēs altum. Quattuor portae per vāllum in castra dūcunt, sed cum hostēs castra oppugnant, portās claudi-mus et vāllum ascendimus. Pīla in hostēs iacimus et, sī necesse est, gladiīs castra dē-fendimus aut ipsī impetum facimus in hostēs. - Sed hoc satis est. Iam tempus est mē Rōmam īre.”

Aemilius tacet. Trīstis est, quod eī necesse est post paucōs diēs in Germāniam redīre. Hodiē autem Rōmam īre vult, quia amīcam Rōmānam habet. Puerī trīstēs sunt, quia avunculus cum iīs lūdere nōn vult, sed cum amīcā suā in viīs Rōmānīs ambulāre.

Brano n.° 4

***Frātrēs pugnantēs*** (cap. XI-XV; 2 ore)

Mārcus et Quīntus frātrēs in hortō villae lūdunt. Mārcus virgam manū tenet clāmāns: “Hoc est pīlum meum. Mīles Rōmānus sum, ut avunculus noster. Contrā Germānōs, hostēs Rōmānōrum, pugnō. Tū hostis meus es, Quīnte. Impetum in hostem faciō!”

Hoc dīcēns Mārcus virgam in Quīntum iacit, sed virga ante eum ad terram cadit.

Quīntus autem “Pīlum tuum leve” inquit “nōn timeō. Neque mīles Rōmānus pīlum tantum, sed etiam scūtum grave et gladium brevem fert. Hīs armīs peditēs Rōmānī pugnant.”

“Sī arma nōn habeō, pugnīs possum pugnāre” clāmat Mārcus, et cum frātre pugnāre incipit: Quīntum pugnō pulsāt, sed ille nōn male sē dēfendit. Pugnōs tenet ante caput neque Mārcus faciem eius pulsāre potest. Tum puer improbus ventrem Quīntī pulsāt. Quīntus stāre nōn potest, sed cadēns pedēs Mārcī capit eumque ad terram iacit. Neque puerī in terrā iacentēs pugnāre dēsinunt. Uterque clāmat, dum alter alterum pulsāt.

Aemilia clāmōrem audit et accurrit. Māter filiōs pugnantēs videt et vōce sevērā “Dēsinite, puerī!” inquit, “Hoc satis est. Vōs mīlitēs nōn estis.”

Filiī mātī nōn pārent neque pugnāre dēsinunt. Tum māter irāta virgam, quae in terrā iacet, sūmit atque filiōs verberat.

Brano n.° 5

***Amīca pulchrior*** (cap. XI-XV; 1 ora)

Mēdus et Lēander servī sunt in familiā Iūliī. Mēdus amīcam habet, cui nōmen est Lȳdia. Mēdus Lēandrō “Mea Lȳdia” inquit “pulchra est fēmina. Cum eam aspiciō, palpitat cor meum. Corpus habet fōrmōsum, braccia et crūra bene movet. Capillōs et oculōs nigrōs habet. Labra rubra sunt ut rosae, dentēs albī ut nix. Collum amīcae meae margarītīs ōrnātur, neque alia ōrnāmenta habet Lȳdia, quia pecūniōsa nōn est. In digitīs eius nūllī sunt ānulī.”

Lēander: “Tū igitur ānulum dā amīcae tuae!”

Mēdus: “Sine pecūniā ānulum emere nōn possum, neque pecūniam habeō. Bonus sum servus, sed dominus mihi nūllam pecūniam dat. Ergō necesse est...”

Lēander: “Quid necesse est? Quōmodo tū pecūniam habēre potes?”

Mēdus: “Id tibi nōn dīcō. Sed etiam sine ōrnāmentīs amīca mea pulchrior est quam aliae fēminae quae ānulīs et gemmīs ōrnantur. Nūlla est fēmina tam pulchra quam Lȳdia mea!”

At Lēander “Nōn vērūm est” inquit “quod dīcis: mea amīca etiam pulchrior est quam tua!”

Quī vir nōn putat suam amīcam pulchriōrem esse quam cēterās fēminās?

Brano n.° 6

**Canis ululāns** (cap. XI-XV; 2 ore)

Nox est. Villa Iūlii obscura et quieta est. Omnēs dormiunt. Parentēs in māgnō cubiculō suō dormiunt. Uterque puer, Mārcus et Quīntus, in cubiculō suō parvō dormit. Etiam soror eōrum Iūlia in parvō cubiculō cubat, sed hāc nocte male dormit, quia caput eī dolet; puella vigilāns gallum canentem exspectat. Fenestra cubiculī clausa nōn est, āēr frīgīdus cubiculum intrat. Puella per fenestram apertam nihil videt praeter caelum obscūrum, nam lūna et stēllae nūbibus operiuntur. Iūlia noctem obscūram timet, ea enim sōlem et caelum clārum amat, hortō et rosīs dēlectātur.

Tum per noctem obscūram et quiētā canis ululat: “Uhuhū!”

Iūlia canem ululāre audit et perterrita est: capilli horrent, cor palpitāt, puella in lectō sē movēre nōn audet, et clāmat: “Mamma! Venī!”

Aemilia clāmōre filiae excitātur et statim accurrit. “Quid est, mea Iūlia?” interrogat, “Nōn dormīs? Adhūc nox est.”

Iūlia: “Lupum timeō. Audī, mamma: lupus ululat. In hortō nostro est lupus ferus!”

Aemilia canem rūsus ululāre audit et “Nōn est lupus, Iūlia” inquit, “est canis tua Margarīta quae ululat. Num tū canem tuam timēs?”

Etiam Mārcus et Quīntus clāmōrem vōcēsque audiunt et cubiculum Iūliae intrant. “Num iam tempus est surgere?” interrogant.

“Nōndum māne est” inquit māter, “Iūlia perterrita est quia putat canem ululantem esse lupum! Sed nunc vōs omnēs dormīte!”

Mārcus rīdet et: “Ō, quam stulta es, Iūlia!” inquit.

“St! Tacē, Mārce!” inquit māter, “adhūc tempus est dormīre. Audīmus ululantem canem, nōn gallum canentem.”

**Duo frātrēs** (cap. XV-XIX; 1 ora)

Pāstōrī pauperī, nōmine Faustolō, duo erant filiī, Brūtus et Nerō. Hic, puer probus, ā parentibus magis amābātur quam ille, quem omnēs stultum esse putābant. Hī cum cane suō ovēs quaerēbant, quae per montēs et vallēs errābant. Dum tamen procul ā patris casā absunt, sōl occidit, et nox sine lūnā obscurās facit viās, neque facile erat errantium ovium vestīgia in terrā reperīre; simul ātrae nūbēs in caelō cernēbantur, ex quibus nix alba cadere in terram incipiēbat; paulō post altā nive tōta terra, collēs, montēs, campī operiuntur, neque iam puerī ad casam revenīre possunt, quia viam nūllō modō reperiunt. Per multās hōrās errant per silvās in montibus; cum tamen nimis fessī sunt, magnam arborem petunt et illīc iacent in terrā prope mortuū. Āēr frīgīdissimus est. Tum Brūtus ē collō frātris līneam cum ānulō sūmit, quam in collō canis pōnit. “Age!” dīcit canī, “Casam pete et patrem quaere!” Dum vērō puerī illīc sunt, pāstor eiusque uxor, quī in casā eōs exspectābant, timēbant, quia nox erat, neque eōs revenīre vidēbant. Sed ecce! Audit pāstor canem apud ōstium lātrantem; cum ōstium aperit, videt canem quī in collō līneam filiī suī gerēbat. Ex casā exit et cum bonō cane suō, quī eum per campum et viās montis dūcit, ad ipsam advenit arborem, sub quā uterque puer in nive iacēbat. Nerō, quī tunicā frātris calidā operiēbātur, quiētus dormiēbat, et frāter eum complectēbātur; Brūtī vērō corpus,



casa -ae f

quod nūdum erat, quia vestīmentīs eius operiēbātur Nerō, nive et glaciē frīgēbat: nam optimus puer, quem omnēs stultum esse putābant rīdēbantque, fortiter mortuus erat, quia frātreminōrem servāre et dēfendere volēbat et sciēbat opus esse eius frīgēns corpus operīre. Pater, eōs vidēns, lacrimās tenēre nōn poterat.

Brano n.° 8

***Servus Britannus*** (cap. XV-XX; 1 ora)

Dāvus est vir Britannus quī in oppidō cum uxōre et līberīs suīs in parvā et paupere domō habitat. Dum in campō est cum ovibus et cane suō, procul audit uxōrem et līberōs clāmantēs: accurrit et videt mīlitēs Rōmānōs in suam familiam impetum facientēs, equīs in hortum intrantēs, hastīs uxōrem pulsantēs filiōsque verberantēs. Clāmāns sē in eōs iacit, quī tamen eum baculīs et hastīs verberant; ad terram cadit Dāvus: nihil iam videt oculīs: caput, corpus, membra omnia dolent. Dāvum nihil sentientem mīlitēs in equum impōnunt et ad oppidum portant: inde, sine uxōre, sine līberīs, quōs nōn iam vidēbit per tōtam vītā, nāve ad portum Ōstiensem vehitur, ubi eum mercātōrēs ut servum dīvitī dominō Rōmānō vendent.

Post paucōs diēs nāvis ad portum perveniet; Dāvus cum aliīs servīs dēscendet et ad forum dūcētur, ubi tabula eī in collō ponētur, in quā magnīs litterīs Latīnīs scrīptum erit eum Britannum et fortem esse. Deinde prope nūdus ascendet in altum locum in mediō forō situm, et mercātor, apud eum stāns, magnā vōce clāmāre incipiet: “Emite hunc servum fortissimum, quī ex Britannīā hūc ad nōs vectus est! Aspiciate eius membra! Aspiciate umerōs, braccia, crūra! Ubi inveniētis virum fortiōrem?” Vir dīves aderit, quī cum mercātōrem tālia clāmāntem audiet, eum adībit et rogābit: “Quantī cōstat hic servus Britannus?” Mercātor respondēbit eum quīnque mīlibus nummōrum cōstāre; vir pecūniōsus pecūniā mercātōrī dabit et Dāvum sēcum dūcet ad vīllam suam. Dāvus prīmum perterritus erit: “Quid fiet dē mē nunc?” cōgitābit; “Quid faciet hic vir, quī meus dominus nunc est?” Sī tamen bonum dominum habēbit, minus male vīvet. Nōn enim omnēs dominī Rōmānī tam sevērī sunt: aliī servōs suōs saepe verberāre solent, neque eīs multum dormīre aut ēsse licet; aliī vērō servōs quoque hominēs esse putant et prope amīcōs eōs habent.

Brano n.° 9

***Filius industrius*** (cap. XVI-XX; 2 ore)

Hēgiō est mercātor quī Ōstiae prope portum cum familiā suā habitat. Vir dīves est, quī mercēs suās, quae ex terrīs aliēnīs advehuntur, māgnō pretiō in Italiā vēndit. Māgnificam domum possidet cum pulcherrimō peristylō, quod deōrum deārumque sīgnīs ōrnātur.

Hēgiō duōs filiōs habet, quōrum nōmina sunt Mariānus et Galbiolus. Galbiolus est puer decem annōrum, quī adhūc lūdum petit. Mariānus iam adulēscēns est sēdecim annōrum. Is apud magistrum suum discipulus prūdēns atque industrius erat, quī nōn solum litterās et numerōs bene discēbat, sed etiam ipse per sē multōs librōs legēbat. Optimus discipulus erat, quī saepe ā magistrō suō doctō laudābātur.

Mercātor filium suum maiōrem ad sē vocat et sīc eī loquitur: “Ab hōc annō puer iam nōn es, Mariāne. Volō tēcum loquī dē tempore futūrō. Quid nunc vīs facere? Vīsne mercātor esse ut pater tuus? An nauta?”

Mariānus respondet: “Ego nec mercātor nec nauta esse volō, quia nōn solum nautae sed etiam mercātōrēs nāvigāre dēbent sive mare tranquillum sive turbidum est, et multae nāvēs cum mercibus in flūctūs merguntur. Tempestātēs et mare turbidum timeō. Sed nōlō domī manēre. In Graeciam ībō, quia litterās Graecās atque linguam Graecam discere volō. Doctus erō ut magister meus, nec solum librōs Latīnōs, sed etiam librōs Graecōs legam. In Graeciā virōs doctōs audīre poterō ac multās rēs ab optimīs magistrīs discere. Vīsne mē tēcum in Graeciam dūcere? Sī bonam nāvem et bonōs nautās habēbimus, hōc annī tempore sine timōre tēcum nāvigābō.”

Verba filiī patrem nōn dēlectant, nam is putābat filiū suū velle mercātōrem esse. Neque tamen adulēscēntem tam prūdēntem ac doctum domī tenēre vult, itaque filiō “Gaudeō” inquit “quod vīs mēcum in Graeciam īre, quamquam mercātor esse nōn vīs. Bene intellegō tē, ut adulēscēntem prūdēntem ac doctum, plūra discere velle in Graeciā apud magistrōs doctissimōs. Ergō, sī ventus secundus erit, post paucōs diēs simul proficīscēmur. Hodiē gubernātōrem adībō quī bonam nāvem in portū habet.”

Septimō diē post hoc colloquium, ventō secundō atque caelō serēnō, Hēgiō cum suō Mariānō filiō proficīscitur. In portū Ōstiēnsī, antequam nāvem cōnscendit, adulēscēns mātrem complectitur et “Valē, māter mea!” inquit, “Nōlī lacrimāre! Gaudē quod ego iam nōn puer, sed adulēscēns sum, nec mē cūrāre dēbēs!” Māter lacrimam dētergēns “Ō Mariāne!” inquit, “Trīstis sum quod tū mē et domum nostram relinquis ac procul ā patriā vīvēs.” Mariānus eam ōsculatur et “Multās epistulās” inquit “ad tē scrībam, māter. Quamquam longē aberō, cotīdiē dē tē et dē patriā meā cōgitābō.” Tum frātrem complectitur et cum patre nāvem cōnscendit. Vēla ventō implentur et nāvis plēnīs vēlīs ē portū ēgreditur.

## Brano n.° 10

### **Gubernātor doctus** (cap. XVI-XX; 3 ore)

Hēgiō mercātor cum filiō suō adulēscēnte, cui nōmen est Mariānus, Graeciam petit. Mercēs suās in Graeciā māgnō pretiō vēndere vult, et illīc novās mercēs minōre pretiō emere, quās deinde in Italiā vēndet pretiō maiōre. Hōc modō mercātor prūdēns māgnam pecūniam facere solet, quā nōn solum rēs necessāriās, sed etiam multa et māgna dōna uxōrī et liberīs suīs emere potest. Certē mercātor dīves est Hēgiō.

Mariānus patrem suū dīligit, neque vērō ipse mercātor esse vult. Is enim librōs Latīnōs et Graecōs legere vult et multās rēs novās ā magistrīs Graecīs doctissimīs discere; itaque cum patre suō eādē nāve vehitur in Graeciam, ubi magistrum omnium optimum docentem audīre poterit. Mariānus discipulus magistrō suō dīgnus erit atque post duōs vel trēs annōs ipse vir doctus in patriam revertētur.

Dum nāvis ventō secundō per mare vehitur, adulēscēns in altā puppī sedet et librum dē optimō gubernātōre, cui nōmen erat Palinūrus, legere cōnātur. Sed difficile est in puppī librum legere, quia gubernātor quī illīc sedet māgnā vōce absentem cantat amīcam. Mariānus eum tacēre iubet, neque is respondet, sed foedā vōce cantāre pergit!

Adulēscēns oculōs ā librō suō tollēns mare et caelum aspicit. Suprā mare nūbēs ātrās orīrī videt, et procul tonitrum audit. Statim patrem adit et “Vidēsne illās nūbēs ātrās quae ab occidente oriuntur?” inquit “Quid eās sīgnificāre putās? Ego tonitrum ac tempestātem venientem timeō, nam tonitrus iam procul audītur. Nōlō hīc tempestātem opperīrī. Iubē

gubernātōrem portum petere, pater: illīc finem tempestātis opperīrī poterimus.” Mercātor vērō “Nōlī timēre” inquit, “gubernātor noster est bonus nauta, quī officium suum scit. Certē tū plūrēs librōs legis quam ille, et multās rēs difficilēs scīs, sed nāvigāre nescīs – hoc librī tuī tē docēre nōn possunt. Manē tranquillus in puppī, et perge librum tuum legere!” “Ego tranquillus sum” inquit filius, “nec iam tranquillum erit mare!”

Mariānus ad gubernātōrem redit, quī maiōre vōce cantāre incipit, dum tōtum caelum nūbibus ātrīs operītur et iam prīma fulgura mare illūstrant. Gubernātor vērō neque caelum neque mare aspicit, sed male canere pergit! “Tacē, gubernātor!” inquit adulēscēns, “Spectā caelum! Fac officium tuum! Necesse est portum petere, nam brevī mākima tempestās oriētur!” Gubernātor nūllum verbum respondet neque caelum spectat, sed sē ad Mariānum vertit eumque ūmidīs oculīs aspicit. Tum adulēscēns animadvertit eum manū tenēre pōculum – ex quō nōn aquam bibit!

Subitō māgnus ventus flāre incipit ac nāvis flūctibus pulsātur. Gubernātor surgere cōnātur nec pedibus stāre potest et ante Mariānum lābitur. Clāmant omnēs et Neptūnum, deum maris, invocant: “Servā nōs, Neptūne!” Nāvis sine gubernātōre in marī turbidō errāns inter flūctūs iactātur et aquā implērī incipit. Nautae aquam haurīre cōnantur atque mercēs gravēs in mare iaciunt. Tum vērō, omnibus perterritīs, Mariānus tranquillus in locō gubernātōris cōnsīdit: is nāvem contrā ventum vertit et in mediīs flūctibus rēctē gubernat. Ita nāvis servātur neque flūctibus mergitur. Paulō post ventus cadere incipit: minuuntur flūctūs et iam prope tranquillum fit mare.

Laetantur omnēs et Mariānum ut optimū gubernātōrem laudant eumque ‘alterum Palinūrum’ appellant. Hēgiō laetus filium suum complectitur et “Profectō” inquit “tū nōn solum librōs legere, sed etiam nāvem gubernāre scīs!” Mariānus autem “Librum legēbam” inquit “dē Palinūrō, optimō gubernātōre. Ut vidēs, librī meī multās rēs mē docēre possunt.”